



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Bibliotheca Rhetorum**

In quo Causae Forenses, Liber Epistolarum, Liber Fabularum, Et  
Oratiunculae

**Le Jay, Gabriel François**

**Ingolstadij, 1726**

Pro Thesi D. Nicolai Le Breton.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71049](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71049)

rivali Oratorem; eundem præmaturo raptum funere lugere etiamnum non desinit. Alterum jam plaudebat sibi stimulis paribus ac præidiis ad fratrem decus festinantem, nisi majoribus pro publicâ re obeundis muneribus servaretur.

Sed nã ego lævus, qui diutiùs istis immorer, unde gravius causæ illi, quam tuendam suscipio, detrimentum accedat. Quare, &c.

---

## A L I A

### *Pro Thesi D. Nicolai Le Breton.*

**F**Austum habes hodiernæ concertationis augurium, Adolescens ingeniose, cui semel atque iterum tam feliciter præluseris. Testis ego palmarum tuarum, & congressus tecum in Philosophico stadio novi, quibus ad certandum denuð præidiis instructus accedas. Verùm tam bene comparatus ad rem gerendam viriliter, & dignos ingenio tuo, dignos eruditione plausus promerendos, utri plus debes, Naturæ an Arti? Equidem novimus quàm acrem ingenii vim, quàm capacem eruditionis bonæ, quàm patientem culturæ liberalis animum nactus fueris; sic ut arrisisse tibi Naturâ benignior, & tanquam parens optima carum inter ceteros alumnorum fovisse amicis videri possit. Tamen, mihi crede, habes unde institutioni, quam sortitus es, gratuleris impensis, qui Parentem optimum juventutis tuæ doctorem ac magistrum inveneris. Sobolis ille amantissimus non te alienis educandum manibus, aut liberalibus disciplinis informandum tradidit.

Ipsè

Ipse sumpsit hoc sibi, ut statim à pueris os filii ternerum figuraret; ut prima insereret eruditionis ac doctrinæ semina, unde uberiores deinde fructus colligeret. Hic affixus tuo lateri morum custos incorruptissimus non te opprobrii cuiusvis expertem modò atque integrum servavit, qui virtutis honos primus est, sed per arduam ac difficilem virtutum omnium semitam securum tibi aperuit. Hic te patientem laboris, bonarum artium cultorem, honestatis laudisque æmulatorem effecit. Nihil te sanum profectò patris hujus pœniteat, Adolescens optime, cui gratiam habeam tam singularem referendam. Hoc unum provido ut, quo cœpisti primùm, eodem pergas pede; quem inoffenso vestigio fidum hætenus ac tutum vitæ ducem secutus es, eundem deinceps mentem sana & ad meliora stimulantem conseceris.

## A L I A

*Pro Thesi D. Ludovici Chauvelin, quæ  
Oratoris olim in supremâ Curia Regii filius est.*

Quod vocâsti me hodiernæ concertationis partem, habeo quas tibi plurimas referam gratias, nobilis & ingeniose Adolescens. Nam cum mihi dulce est servire gloriæ tuæ, amplam tibi nobilissimi triumpho segetem apertum nihil esse potest optatius, quàm testari palam meum erga te animum, & devotissimam jam tuæ familiæ tuæ voluatatem.

Verum